ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Vir nobiliss. et Maecenas observandme

Urgeor a viro quodam Reipub. nostrae primario, ut tibi alieno negotio molestus esse debeam: cui istud negare non audeo, nisi misericordiae beneficentiaeque piacula committam. Latrix harum Syberta Joannis, homicidii a Joanne Theodori Wissher marito suo innocenter commissi veniam apud suam Celsitud. efflagitat. Maritus siquidem Joanni Antonii aurigae ipsum malevole absque caussa invadenti, dum sese defendere conaretur, innocenter vulnus inflixit: ex quo post horas aliquot, cum defectu chirurgorum sanguis continuo effluxerit, mortuus esse publicis documentis perhibetur. Factum ipsum triplici ratione innocentiam testari veniamque mereri dicitur. Primo quod antagonista occisus fuerit homo ad seditiones injuriasque commovendas proclivis, eoque nomine apud omnes promiscue notus: quippe qui primam mali hujus causam non solum quaesiverit, sed et ultimam praebuerit. Deinde pro patrocinantur amici, ac consanguinei, ipsa uxor hominis occisi: nam eidem facti istius, omnisque culpae veniam tabulis publicis liberaliter statuerunt. Denique Magistratus nostri singularis favor viri hujus innocentiam satis commendat: quippe cui fugitivo (donec gratiam a sua Celsitudine obtineat) munus aurigae urbani remanere, illudque per vicarium tantisper obeundum Consules decreverunt. Hae rationes viro fugitivo patrocinium hac in re impendendum satis ostendere videntur. Quod autem ego ejusdem rei gratia te reverenter interpellem: et necessitatis, et virtutis ex eadem causa argumentum interpretari ne dubita. Cum et mea in te debita jam copiosius amplificata, usque adeo excreverint, ut non solum magis fatear me solvendo non esse, sed et perpetuo obsequio gratiam tuam quantum pote mihi promerendam protester.

Valetudinem et studia quod attinet, sic se res habet. Dolores colici hac septimana nonnihil quieverunt. Oculus vero sinister vesicatoriis, collyriisque adhibitis, quotidie curandus speratur. Ex quibus mediis eo saltem conservatus videor, ut perdidisse nihil,

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 16
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2827b

Verum nec multum me profecisse hactenus experiar. Sed tempore
opus est, inquit Medicus. Interim, quantum permittit dispositio, ali-
quid in Musicis ante hac inchoatum absolvere conor. Sed, o valetudi-
nem! et praecipue, o lumen oculorum meorum! exclamem apud te,
Maecenas benevolentissime: nec tamen animum despondeo. Quippe
si vires concedatur solummodo, facile reliquas infirmi corporis mo-
lestias, studiis, vitae sedentariae sociis, fallam. Crastina die Heroem
Descartesium expecto me imbibiturum; a cujus praesentia, forte aliquid
et animo, et corpori, levaminis accedet. Interim fove clientem tuum,
eidemque diu felix, vive, ac vale. Harlemi. XI Novemb. CIↃ.IↃC.XLI

Tuus servus

J. Alb. Bannius

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 16
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2827b

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 16
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2827b

Myn Here

Myn Here

Constantyn Huygens Ridder,

Here tot Zuÿlicom Raedt en

Secretaris van zÿn Hoogheyd

in

'S gravenhage.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 16
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2827b